



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 65. Lenoncurtii Cardinalis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Laya anno ætatis suæ septuagesimo ter-
tio obiit, ejusque corpus Turnonium
delatum est. Ejusdem laudes oratio-
ne funebri deprædicabat Joannes Pelif-
sorius, Vincentius vero Laura, qui
primo Montis Regalis Archiepiscopus,
ac demum sub Gregorio XIII. Cardina-
lis fuit creatus, ejus vitæ historiam
concinnabat. Ceterum Franciscus præ-
ter quædam statuta Synodica, quæ
Lugduni Anno Christi millesimo quin-
gentesimo sexagesimo condiderat, poste-
ris etiam reliquit quasdam epistolas ad
Annam Montmorentium scriptas, nec-
non alias, quæ Anno millesimo quin-
gentesimo vigesimo quinto, quinquage-
simo septimo, & quinquagesimo nono
scriptæ in Regia Bibliotheca asservantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. LXV.

Lenoncurtii Cardinalis extrema.

Pariter eodem hoc anno Francia luxe-
rat Cardinalem Robertum Lenon-
curtium Theodorici Lenoncurtii Vigno-
riensis Filium, qui ex Priore Charita-
tis Divæ Mariæ ad Ligerim Ordinis
Cluniacensis, Abbas primo Barbellæ,
seu sacri portus Ordinis Cisterciensis,
deinde Rhemis Abbas sancti Re-
migii, ac denique cedente Roberto
Lenoncurtio Patruo suo, ejusdem Ur-
bis Archiepiscopus est nominatus: tau-
dem

Ciacon. t. 3.
pag. 646.

Sæcul. XVI. dem vero a Francisco I. ad Catalaunen-
A.C. 1562. sem Episcopatum nominatus, necnon
 ad sollicitationem ejusdem Regis, cu-
 jus Orator erat apud Carolum V. Cæ-
 sare, a Paulo III. summo Pontifice
 die vigesima Decembris Anno Domini
 millesimo quingentesimo trigesimo octa-
 vo renuntiatus est Cardinalis titulo
 Sancti Anastasiæ, quo tamen relicto
 illum S. Apollinaris titulum primo, mox
 vero S. Cæcilie ex permutatione acce-
 pit. Rexerat postea quatuor Episcopa-
 tus, & tres Archiepiscopatus, & qui-
 dem Rheatinum Episcopatum in Italia,
 Catalaunensem in Campania, necnon
 Metensem, & Antiodorensem: ex
 Archiepiscopatibus autem Ebrodunen-
 sem, Arelatensem, ac Tolosanum ad-
 ministravit, ex quibus tamen Nepoti
 suo Philippo Lenoncurtio postea Cardi-
 nali Catalaunensem Ecclesiam resigna-
 bat: cum vero per sexaginta tres ferme
 annos nullus Episcopus in Metensi urbe
 Sedem suam fixisset, Robertus Lenon-
 curtius die octava Julii Anno Christi
 millesimo quingentesimo quinquagesimo
 primo hanc civitatem solemnii pompa
 ingressus Capitulo electionis suæ diplo-
 ma exhibuit, atque Episcopatus posses-
 sionem accepit, præsentibus quatuor
 Episcopis, quinque Abbatibus, ac quam
 plurimis Proceribus, & Nobilibus: pri-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

ma autem Novembris die in Ecclesia Cathedrali ritu Pontificio rem divinam peragebat, ad quam solemnitatem, cum octoginta sex abhinc annis nunquam conciperetur, insolita hominum frequentia certatim ad Ecclesiam confluebat. Demum proximo Mense Januario Robertus generalia Cleri sui comitia indixit, eaque die octava Februarii Vici celebravit: præterea idem Cardinalis, cum Metensis urbis Primores ad sua studia pertraheret, plurimum conferebat, ut eadem urbs in Gallorum potestatem veniret. Ceterum Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio septima Octobris die monetam cudendi jus, quod ab ejus Prædecessoribus fuerat pignori datum, reluebat, atque hodieum visitur moneta ab eo cusa cum hac inscriptione: *in labore requies*. Interfuit quoque Robertus Romæ sacris comitiis, in quibus Julius III. Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. in summos Pontifices fuere electi: insuper Divi Remigii sepulcrum in abbatali ad eundem Sanctum Rhemenfi Ecclesia construi, aut saltem ea pulchritudine exornari curavit, ut illud inter celebrissima Gallici Regni monumenta merito recensatur. Hic idem Robertus non nisi quinque annis Metensi Diæcesi suæ præfuit, sed cum

Z z 3

tanta

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

tanta animi mansuetudine, bonitate, modestia, ac sapientia, ut vulgo *bonus Rupertus* nominaretur: cum autem de ejus obitu falsus Romæ rumor spargeretur, Lotharingus Cardinalis, qui ibi tum agebat, reservationis diplomate fretus ad Metensem Ecclesiam rediit, quam tamen mox Francisco Belcaro Franciæ Historico cessit: vix autem Lenoncurtius Cardinalis rem gestam compererat, cum illico suum Episcopatum Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio ultro dimitteret, atque ad suum charitatis ad Ligerim Prioratum secederet, ubi etiam die vigesima secunda Februarii Anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo sexagesimo secundo obiit, ibidemque sepultus fuit, nec tamen desunt, qui illum Metis mortuum, atque in Sacello a se constructo terræ mandatum fuisse scribant.

§. LXVI.

Thaddæi Gadii Cardinalis mors.

Ciacon.
pag. 854.

Alios adhuc tres Cardinales Ecclesia hoc anno amiserat, quos interpretus erat Thaddæus Gadius patria Florentinus Aloysii Patritii Florentini Filius, & Nepos alterius Cardinalis nomine Nicolai, qui ineunte anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quin-